









1796.

1. Frickius, Albertus Philippus : De exceptione curatris non  
dum excurri restitutionem in integrum a minoribus  
aetatis petentem non remorante.
2. Matheson, Christianus Augustus : De nepote non conferente.
3. Huebner, Francus Henricus : De obligatione socii  
innocentis in delictis
4. Pannoch, Coperni Christophorus : De transactionibus  
ad timorem litis initio ad l. 2 C. de transact.
5. Ribbentrop, Augustus Guilielmus Carolus Georgius :  
De relatione delictorum in Ducatu Bremensi  
et Verdensi, imprimis de mulcta a pagorum  
incolis, qui furum lignariorum nomina non  
detulerunt, praestanda.

1798.

Pappe, Carolus Guilielmus : De jure principis circa  
immunitatis emendandaque ea, quae in fundatio-  
nibus ad prius causas specialiter a fundatoribus



determinata sunt

1801.

Luidermen, Rudolphus Hlavinus : Num mercator  
venditis mercibus et huc actione quanti minoris  
adversus venditorem experiri possit ?

1803.

Ricke, Francus Georgius : Num restitutio in integrum  
contra rem judicatam ab instrumenta noviter  
reporta locum habeat ?

1804.

Hartung, Christianus Christophorus : Observationes  
forenses decisivus Ued. Sax. supremæ pro vica  
Lionum tribunalis collustratae.

1805.

1. Schmelzer, Fridericus Augustus : Singularia juris Brunsvic.  
Wolfenbüttelei in appellationibus ad suprema im-  
peri tribunalia

1808

2 Schreder, Eusebius: De divisione puchuum totis.

1806.

1. Henck, Hermannus Gustavus Eberhardus: De vera crimine laesae majestatis secundum leges positivas in dote atque poena.
2. Liptz, Leonardus Ludovicus Gottlieb: De nepotibus ex filio unico avo non in capita sed in stirpes succedentibus.

1808.

Schlitz, Gustavus Franc. Carolus: Num iusta actione negotiorum censualium in possessione servitatis constituto ab onere probandi immunitus sit?

1809.

Wildeberg, Sidericus Augustus: Gratulatio, quam  
Godofredus Christophorus Beirio . . . in sacris cas

et Doctoris et professoris semi saecularibus. —  
Dixit. Subjectum est Carmen ad Fulviam Corvinam  
in iisdem sacris scripturis.



DE  
NEPOTE NON CONFERENTE  
EXERCITATIO.

1796, 2  
~~659~~  
2/

SCRIPSIT

ET

AUCTORITATE

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PRO

SVMNIS IN IVRE HONORIBVS  
CAPESSENDIS

PRAESIDE

D. CHRISTIANO AVGVSTO GÜNTHERO

IVR. PROF. P. O.

A. D. V. AVGVST. A. C. MDCCLXXXVI.

AD DISPVTANDVM PROPOSVIT

CAROLVS SIGISMVNDVS TOPP

BRVNSVICENSIS

ADVOCATVS ET NOTARIVS PVBLICVS CAESAREVS.

HELMSTADII

LITERIS C. G. FLECKEISEN, TYPOGR. ACAD.

*C. A. Günther De nepote non conferente.*





---

DE  
NEPOTE NON CONFERENTE  
EXERCITATIO.

---

§. I.

*De collatione bonorum vniuersim.*

**I**n iudicio hereditatis diuidendae frequenter occurrit collatio bonorum, qua liberi adscendentibus succedentes res ab ipsis viuis acceptas in communem hereditatem inferre tenentur, ad aequalitatem seruandam comparata.<sup>a)</sup> Quam quidem conferendi necessitatem solummodo inter descendentes obtinere, nec vero inter adscendentes, collaterales et extraneos heredes eisdem locum esse, certum satis iure ciuili indubitatumque est.<sup>b)</sup> Origo collationis a Praetore est repetenda, qui in eo genere rem plane nouam ac salutarem aggressus est. Ex quo enim liberi emancipati hereditatis paternae, olim ad suos tantum pertinentis, participes facti sunt; deterior utique in eo fuit suorum conditio, quod, si quid hi ex quocunque titulo adquirebant, id patri, in cuius potestate essent, obueneret, emancipati vero omnia sibi met ipsis adquirerent. Quod cum iniquum omnino Praetori videretur; edicendum putauit, ut emancipati omne lucrum post emancipationem factum ad bona paterna mortuo patre possidenda conferrent.<sup>c)</sup> Et si vero ex voluntate

## IV

Praetoris collatio tunc demum, vbi sui et emancipati simul ad hereditatem paternam peruenirent, valere debuit; postea tamen eadem, quoniam par ratio subesse videbatur, responsis prudentum et rescriptis Imperatorum non solum ad suos inter se concurrentes porrecta fuit, verum etiam ad omnem hereditatem parentum, et patris, et matris, translata. Iam quum nonnisi parentibus sine testamento defunctis obtineret: Iustinianus, rei vtilitate commotus, in omni hereditate, tum ab intestato, tum testamentaria, nisi forte contrarium dixerit testator, valere illam voluit, quoniam incertum sit, ne forsitan iste oblitus datorum, aut tumultu mortis, de illa non cogitauerit; ita tamen, vt liberi nonnisi ea, quae ex parentum bonis profecta sunt, conferre debeant. <sup>d)</sup> Denique idem suorum et emancipatorum differentiam in successione sustulit, omnesque liberos, siue in patria potestate adhuc constitutos, siue ab illa liberatos, ad patris hereditatem vocauit. <sup>e)</sup> Quae quidem noua succedendi ratio vt nouas quaestionum formas peperit; ita etiam ipsa bonorum collatio variis nodis ac difficultatibus impedita est, a quibus post multos doctorum virorum labores liberari nondum potuit. <sup>f)</sup>

a) Vid. tit. *Dig. de collatione bonorum*; et tit. *Cod. de collationibus*.

b) *L. 7. L. 17. et 19. C. de collat. bon.*

c) *L. 1. pr. L. 10. D. h. t.*

d) *Nov. XVIII. c. 6.*

e) *Nov. CXVIII. c. 1.*

f) De

- f) De collatione bonorum praeter multos alios exposuerunt Arn. Vinnius *de collat. Amst. 1651.* Io. Ad. Beck *de collat. bon. Norimb. 1741.* et Gottfr. Mascov. *diff. de collat. bon. Lips. 1742.* et in *Opusc.* a Püttmanno editis.

## §. II.

*De collatione nepotum quaestio dubia.*

In primis ardua est de nepotum collatione quaestio, inter Iureconsultos vario modo agitata, de qua nunc sententiam meam explicare, apud animum constitui. Sunt, qui nepotes in diuidenda aui hereditate ad omnia, quae parens accepit, conferenda adstrictos esse velint: alii contra nulla ratione teneri illos dicunt: alii denique pro causae diuersitate mox teneri adfirmant, mox negant, remque variis distinctionibus exponunt. In quo opinionum dissensu si forte a recta via aberrauero, veniam facile aetati iuuenili dabunt aequi rerum aestimatores. Etsi enim, praeter eos, qui obiter quaestionem attigerunt, WERNHERVM, <sup>a)</sup> BASTINELLERVM, <sup>b)</sup> KRESSIVM, <sup>c)</sup> CASPARVM, <sup>d)</sup> STRECKERVM, <sup>e)</sup> SCHORCHIVM, <sup>f)</sup> ZOLLERVM, <sup>g)</sup> aliosque in eodem argumento pertractando iam occupatos esse, ideoque nec noui quidquam a me suscipi, probe scio: quoniam tamen ad summos in iure honores adidiscendos more academico scribendi necessitas mihi imposita est, quaestionem licet saepius iam propositam, retractare, et mea ratione paucis explicare, quam in nouis rebus praedicandis vanam gloriolam quaerere malo. Iam quum multi nepotum successiōnem iure repraesentationis niti statuunt, ideoque ab eodem conferendi necessitatem repetant: de eo quidem

## VI

dem antea dicendum videtur, quam ad caput rei perueniam.

- a) Io. Balh. Wernher diff. *de collatione nepotum*. Vitemb. 1721.
- b) Gebh. Chr. Bastineller diff. *de nepote patris conferenda, nisi his auctus sit, non conferente*, ib. Wernheri dissertationi opposita; ad quam Wernherus in *Observ. forens. Tom. II. P. VI. obs. 499 et 500.* respondit; et Bastinellerus tr. *de nepote a patris collatione liberato*, Vit. 1745. ab ista responsione se defendit.
- c) Io. Paul. Kresl diff. *de nepote ea, quae parens accepit, in uniuersum conferente*, Helmst. 1752.
- d) Car. Casim. Caspari diff. *de collatione nepotum a paterna hereditate abinentium, et auo cum patris succedentium*, Argent. 1764.
- e) Conr. Guil. Strecker diff. *de collatione nepotum, hereditate paterna repudiata, cum patris, aut amitis, auo vel auiae succedentium*, Erf. 1768.
- f) Chr. Fr. Imm. Schorch diff. *de collatione nepotis*, Erf. 1772.
- g) Fr. Gottl. Zoller diff. *de quaestione, utrum nepotes, si parentum heredes facti, ea conferre teneantur, quae eorum praedefuncti parentes acceperunt*, Lips. 1781.

### §. III.

#### *De iure repraesentationis.*

De natura et indole iuris repraesentationis, quod vocant, in successione interpretēs iuris ciuiliſ conſtat non omnino inter ſe conuenire: dum alii ad perſonam defuncti parentis illud referunt, alii ad gradum,

dum, quo successio fiat, pertinere volunt. Nec satis idonee dicunt, iure repraesentationis hic nonnisi successio in locum alterius significari. Quamquam enim concedi potest, eum, qui alterum repraesentat, in locum eius succedere: nec tamen semper inuerso ordine alterum, in cuius locum aliquis succedit, ab eodem repraesentari recte dicitur. Nam ut hoc exemplo utar, heres secundo loco scriptus, deficiente primo in locum eius succedit: nec vero eum repraesentat. Pari ratione heres fideicommissarius restituta hereditate succedit in locum fiduciarii, qui usque eo hereditatem tenuit: nec tamen ille repraesentat fiduciarium. Adeo non eadem sunt haec: alterum repraesentare, et in locum alterius succedere. Curatius autem res exprimi videtur, si dicamus, repraesentatione in successioibus denotari ius singulare, certis personis indultum, quo in locum defuncti parentis ita subeunt, ut eam accipiant hereditatis partem, quam defunctus parens, si adhuc in viuis esset, acciperet. <sup>a)</sup> Manifestum enim est, doctrinam de successione ex iure repraesentationis fictione quadam niti. <sup>b)</sup> Fingimus nempe, parentem adhuc viuere, qui hereditatis partem accipiat, acceptamque in liberos transmittat: aut, ut aliis verbis utar, filium, dum succedit, non esse filium, sed patrem. Neque eo comparata est ista repraesentatio, ut alii iure ordinis iam exclusi ab hereditate arceantur, sed eo potius consilio datur, ut quis cum his, qui in eodem ordine constituti sunt, verum genere aut gradu propiores, concurrat. Diximus, in iure repraesentationis non sufficere, si quis locum alterius occupat, sed vim illius positam esse in eo,

## VIII

eo contendimus, quod aliquis partem hereditariam illius, quem repraesentat, nanciscatur sibi que assumat. Hoc vero imprimis vrgendum videtur, vbi de iure repraesentationis sermo sit, ipsum quidem ius succedendi in bonis a defuncto relictis iam ex legibus, vnde ortum sit, certum satis esse, atque indubitatum: sed de eo tantum agi, quo modo quauis ratione succedendum sit. Id quod tum maxime regula aliqua legibus praescripta indiget, cum plures adsunt, ad successionem vocati. His enim constat partem hereditatis praedefuncto parenti debitam assignari, vt inter eos diuidatur.

a) Conf. Io. Chr. Kochii *Successio ab intestato ciuillis*, §. 12.

b) Alteserra *de fictionibus iuris tr. VI. cap. 1.*

### §. IV.

#### *De successione nepotum sententiae nonnullorum.*

In nepotum quidem successione non desunt, qui inter personae et gradus repraesentationem discrimen statuunt. Ita ex sententia ANT. FABRI <sup>a)</sup> liberi matris non tam personam quam gradum repraesentant, quoniam praemortua filia nepotes ex ea superstites ad successionem aui ex propria persona et proprio capite veniant, non ex persona matris, vtpote repraesentantes gradum matris, non personam. Cui opinioni, ethi ea praeter FABRYM aliis quoque placet, <sup>b)</sup> ego parum adsentior. Neque enim intelligo, quo modo persona gradum repraesentare possit. Ipse adeo A. FABER alio loco, <sup>c)</sup> vbi de nepotibus auo paterno succedentibus loquitur, eosdem non tam ex suo proprio capite,



capite, quam ex parentum gradu dicit succedere: quod multo melius dictum videtur, quam repraesentare gradum. Haec enim loquendi ratio non solum subtilis est, vt BRUNNEMANNVS <sup>d)</sup> et KRESSIVS <sup>e)</sup> illam vocant, sed plane fugienda, cum vix sensum admittat. Ipse Iustinianus de ea re his verbis vtitur: *Cum filius filiae, et ex altero filio nepos neptisue existunt, pariter ad hereditatem vocantur, nec qui gradu propior est, ulteriorem excludit. Aequum enim esse videtur, nepotes neptesque in patris sui locum succedere.* <sup>e)</sup> Et alio loco dicit: *in proprii parentis locum succedere.* <sup>d)</sup> Eodemque modo veteres Iure consulti loquuntur. <sup>g)</sup> Illis enim locutionibus: *in patris sui locum succedere, in patris sui partem venire, in patris portionem, in filii partem succedere,* non aliud intelligendum est, quam quod nepotes mortuo patre immediate in potestate aui sunt, et auo eodem modo succedunt, quo pater illi succederet: quod ius hereditarium sinitate nititur.

a) Ant. Faber in *Cod. lib. II. tit. 3. defn. 1.*

b) Referendi huc Ben. Carpzov *Definit. for. P. II. const. 35. def. 2. 10.* Stryck *de Success. ab intest. c. 2. §. 15.* et Henr. Cocceii *diff. de success. nepot. §. 8.* Caeterum de nepotum in stirpes successione Ant. Contius in *Opp. a Merillio edit. copiosius exposuit.*

c) A. Faber *de erroribus pragmatic. P. III. lib. 5. err. 1.*

d) Io. Brunnemann *Comm. in Cod. tit. de collat. bon. n. 5 6.*

e) Io. Paul. Krefs *l. c. cap. 2. §. 7.*

f) *§. 6. Inst. de heredit. quae ab intest. defer.*

g) *Nov. CXVIII. c. 1.*

h) Ulpian. *Fragm. tit. 26. §. 2. L. 29. §. 14. D. de lib. et postum. L. 28. §. 1. eod.*

## §. V.

*Nepos auo iure proprio succedit.*

Inter descendentes secundum Nouellam. CXVIII. cap. 1. vbicunque nepotes aut pronepotes defuncti, parentibus priuati, existunt, in stirpes succedi, neminem fugit; et perinde est, nepotes siue solummodo inter se, siue simul cum liberis aut pronepotibus concurrant. Tot enim partes faciendae, quot stirpes sunt, et primi ex quolibet stirpe, inter quos et defunctum alia persona non amplius uiuit, partem cuiuslibet stirpi assignandam accipiunt. Nec quidquam refert, num primi vnus stirpis propiori, an vero aequali, aut remotiori gradu cognati sint defuncto, quam primi alterius stirpis. Generaliter enim ita Imperator constituit: *In hoc ordine gradum quaeri nolumus.* Itaque primi cuiuslibet stirpis succedunt non iure repraesentationis, sed iure proprio, ex ea solum ratione, quia primi stirpis sunt. Optime id quidem intelligitur, si veterem iuris Romani successionem mente respiciamus. Constat enim, antiquo iure ante omnia suos heredes ad successionem vocatos esse. <sup>a)</sup> Sui autem heredes iam uiuo patre aut auo condomini bonorum habebantur. <sup>b)</sup> Ideo lex illos vocabat, non vt hereditatem patris aut auī acquirerent, sed vt dominium uiuo patre impeditum exercerent aut continuarent. <sup>c)</sup> Quamobrem nepotum successio iure quodam repraesentationis plane haud indigebat, sed sinitate et proprio

prio iure nitebatur. Postea emancipatis, iure civili prorsus exclusis, bonorum possessio ex edicto Vnde liberi data est. <sup>d)</sup> Et hic quoque nepotes non repraesentationis iure, sed beneficio Praetoris possessionem bonorum petebant. Iam Iustinianus Nov. CXVIII. c. 1. omnibus quidem descendantibus successionem tribuit: *sive suae potestatis sive sub potestate essent*, omnemque distinctionem, quam adhuc patria potestas fecerat, hoc quidem respectu sustulit. Verum in eo, quod nepotes non ex persona parentis, sed proprio iure succederent, nihil mutavit. Et quamquam descendantibus remotioribus eam hereditatis partem, quam parens illorum defunctus, si adhuc in viuis esset, acciperet, tribuendam statuit: ipsum tamen ius succedendi nepotum ex eo, quod parentem defunctum repraesentent, nusquam repetendum putavit. Quamobrem nouo etiam iure nepotes statim ex constitutione Iustiniani succedunt, nec repraesentatione, quae fictione quadam nitatur, villo modo opus habent. Etsi quidem haud ignoro, complures esse, eosque magni nominis Iureconsultos, qui in alia omnia abeant: non desunt tamen, qui meam amplectantur sententiam, in quibus praeter CARPZOVIVM, STRYCKIVM et LAVTERBACHIVM, in primis numerandus est IO. SAM. FR. BOEHMERVS, <sup>e)</sup> qui de industria de ea re exposuit. Etsi vero non omnia argumenta, quibus illi ad firmandam sententiam suam vsi sunt, mea facere velim, in quibus infirmandis iam KRESSIVS laboravit; <sup>f)</sup> re ipsa tamen cum iisdem ob eam praecipue, quam exposui, causam consentio. Neque etiam KRESSII argumentum ex eo, quod nepotes saepius, si

auus ita vult, pro parentum suorum in auum peccatis poenam dare adstringantur, ductum atque exemplis quibusdam, vt ego quidem existimo, parum idoneis illustratum \*) a sententia mea auertere me potest.

- a) Vlpiani *Fragm. tit. XXVI. §. 1. L. 9. §. 2. D. de lib. et posthum.*
- b) *L. 11. D. eod. §. 2. Inst. de hered. qualit. §. 3. Inst. de hered. quae ab intest.*
- c) *L. 220. D. de V. S. L. 3. C. de suis et legit. §. 15 Inst. in fin. de hered. quae ab intest.*
- d) *L. 1. §. 7. et 9. L. 2. L. 4. D. Vnde liberi.*
- e) Io. Sam. Fr. Boehmeri *diff. de nepotibus auo suo iure proprio succedentibus. Frf. 1762.* Cf. etiam I. F. Ernst *diff. de iure succedendi nepotum proprio, Mogunt. 1721.* G. D. C. ab Engelbrecht *diff. de iure repraesentationis in successione, et an eodem in primis nepotes indigeant, Gotting. 1751.* Io. Fr. Doles *diff. de iure repraesentationis in successione descendentium exule, Lipsj. 1778.*
- f) Krefs *diff. cit. cap. 2. §. 3-11.*
- g) *Ducta sunt exempla ex L. 2. §. 5. D. de bon. poss. L. 6. §. 2. D. de suis et legit. L. 7. pr. D. de iniust. rupt. aliisque locis.*

## §. VI.

*De collatione nepotum variae considerationes.*

In diuidenda aui hereditate quotiescunque nepotes simul heredes sunt, duplici modo de illorum collatione agi potest. Nam aut de iis bonis sermo est, quae ipsi nepotes ab auo viuo acceperunt, aut de his  
quae

quae illorum parens praedefunctus ab eodem nactus fuit. Ea quidem bona, quae ipse nepos ab auo tenet, conferenda esse, dubio caret, quoniam aequalitas inter omnes coheredes seruanda est, quae non solum ad filios filiasue, sed etiam ad nepotes vel neptes spectat. Ad ea vero, quae parens praedefunctus accepit, quod attinet, iterum discrimen statuendum est, nepos ytrum simul parentis sui heres factus sit, nec ne. Si nepos parentis simul heres existit, vtique etiam ea, quae parens acceperat, in aui hereditatem conferre debet: id quod tum natura et obligatio heredis docet, tum ex pluribus iuris ciuilis locis haud obscure intelligitur. <sup>a)</sup> Sin vero nepos parentis heres non factus est, an et quatenus nihilo minus ea, quae praedefunctus parens ab auo acceperat, in hereditatem aui conferre debeat, de eo maxime quaeritur, variaeque Iureconsultorum sententiae, ac discrepantes sunt.

a) Referri huc possunt L. 2. §. 7. et 8. L. 5. 6. et 9. D. de collat.

### §. VII.

*Nepotes parentis praedefuncti hereditatem omittentes in diuidenda aui hereditate nihil conferunt.*

In illa igitur opinionum diuersitate si dicendum, quid sentiam: ego quidem existimo, nepotem, cum parentis praedefuncti hereditatem omisit, ad conferenda ea, quae parens ab auo viuo accepit, non adstrictum esse. Omnino neque ex persona praedefuncti

cti

## XIV

cti parentis, neque ex propria persona conferendi obligatio repeti potest. Ex parentis quidem persona obligatio non oritur, quia nepos heres illius factus non est, et conseruatio bonorum ipso iure portionem hereditariam non minuit. Ex propria autem persona nepos multo minus obligatur, quoniam nihil omnino adest, quod conferri possit.

Iam si verum esset, quod permulti volunt, nepotes ex iure repraesentationis succedere: vtique dicendum foret, detrectari ab illis onus non posse, quod parentibus subeundum fuisset, cum, qui in locum alterius subintret, idem etiam praestare cogatur, quod, si in viuus esset, praestaret is, in cuius locum ingredia-  
tur. At enim vero cum ex his, quae supra diximus (§. V.), satis pateat, nepotum successionem non repraesentatione quadam niti, sed ex iure proprio repetendam esse: recte hinc videtur inferri, nepotes, quotiescunque parentis hereditatem omiserint, ad bona aui aliquid conferre haud teneri. Adserit quidem KRESSIVS, <sup>a)</sup> nepotes, quamuis concessio illorum iure proprio, a collatione tamen haud immunes esse. Nam cum ipsi primi gradus liberi, neglecto edicti primo capite Vnde liberi, ex secundo Vnde legitimi, vel adeo ex tertio Vnde cognati bonorum possessionem petentes, conferendi necessitati nihilo minus maneant adstricti, <sup>b)</sup> licet alioquin a collatione immunes plane sint cognati: hinc sequi vult, quod conferendi onus a ceruice non deuoluere queat is, qui eum subeat gradum, in quo qui constitutus est, semper conferre tenetur. Sed vereor, vt id, quod vult, prono, vt ait, alueo exinde sequatur. Alia enim est ratio libero-  
rum

rum primi gradus, qui paternorum bonorum possessionem petunt, quippe quos, cum commodum ex hereditate patris habeant, onus etiam collationis ferre, aequum est, ex quocunque capite possessionem petant: alia prorsus nepotum, qui paternam hereditatem omittunt, ideoque nullum percipiunt commodum, cuius causa onus etiam ferre teneantur.

Sed non defunt aliae legum rationes, ex quibus sententia mea defendi potest. Primum quidem successio auita nepotibus non ex arbitrio patris, sed ex legis providentia debetur, ideoque ista nepotibus, nisi hi tanquam patris heredes facta eius praestare teneantur, prorsus auferri, aut onere collationis imminui nequit. Nec me mouent, quae WERNHERVS opponit, legis beneficium huc tantum comparatum esse, vt nepos ea portione contentus sit, quam pater habiturus fuisset, et nepotes a lege ad aui hereditatem non quales, sed quatenus in patris locum seu gradum succedant, h. e. eius personam repraesentent, vocatos esse. <sup>c)</sup> Prior enim ratio ad me non spectat, quoniam ponit, nepotem patris heredem fieri: posterior autem secundum ea, quae supra dixi, erronea mihi videtur. — Deinde cum nepoti ex Praetoris beneficio, licet ommissa patris hereditate, auitam amplecti permixtum sit, <sup>d)</sup> vtique fraudi ac damno beneficium illud nepoti foret, si nihilo secius, quasi patris heres sit, ea, quae pater ab auo accepit, conferre in auitam hereditatem cogeretur. Quicquid enim WERNHERVS dicat, <sup>e)</sup> nonnisi bonorum possessionem in bonis auitis, licet ommissa hereditate paterna, nepotibus datam esse: nec tamen a Praetore vsquam remotum est,

est, quod per naturam rei inde sequitur, plenum successione commodum nepoti in bonis aui obuenire debere, quod diminueretur, si nepos ad conferenda ea, quae ipse ab auro haud acceperat, cogi posset. — Porro cum et patris, et nepotis, aui heredum, ius ex tempore mortis aui pendeat, quoniam nulla hereditas ante, quam delata est, acquiritur, vel repudiatur: quemadmodum auro praemortuus pater succedere nequit, ita nec alium, quam heredem, ante hereditatem aui delatam ad collationis onus potest obligare.

Nescio etiam, annon ratio aliqua immunitatis nepotum ab eo duci queat, quod nepotes aui hereditatem repudiantes, nihil conferunt. Ait enim *L. 25. C. famil. ercisc. Ex causa donationis vel aliunde tibi quaesita, si aui successionem respueris, conferre fratribus compelli non potes.* Itaque non intelligitur, cur nepos aui hereditatem respiciens deterioris conditionis esse debeat, quam paternam hereditatem omittens. — Nec forte dolus vel culpa nepotis adest, propter quam damnum ex collatione oriundum sentire debeat. Etenim dum auitam hereditatem paternae praefert, iure suo utitur, auique coheredibus nullam facit iniuriam. — Etiam exinde, quod patri, si vixisset, onus collationis subeundum fuisset, non sequitur, idem nepoti esse subeundum: quoniam plane non eadem ratio intercedit. Ideo enim pater contulisset, quia aliquid ab auro acceperat, quod erat conferendum. Verum nepos nihil a patre suo accepit: ideoque ad aui hereditatem nihil conferre debet. Nec dici forte potest, nepotem plus ex aui hereditate petere non posse, quam pater eius,  
 fi



si superstes fuerit, accepturus esset. Nam tunc de-  
 mum id verum est, ubi, hereditate auita a patre prae-  
 repta, nepos cum filio concurrens, auo non pro virili  
 portione, sed ex stirpe succedit. Atque de eo tan-  
 tummodo leges intelligendae sunt, quae tantam nepo-  
 tis partem dicunt esse, quantam pater, si viueret, ob-  
 tinuisset: neque vllum deprehenditur vestigium, quod  
 res, quam tempore mortis aui nepos non habet, nec  
 dolo aut culpa habere desiit, conferendae sint. —  
 Praeterea iniquum foret, si nepoti superstiti plus iu-  
 ris, quam praedefuncto patri, in auita hereditate vel-  
 lemus concedere: propterea quod nepos nihil omni-  
 no, et ne legitimam quidem ex aui bonis acciperet, si  
 pater plus iusto iam accepisset.

a) Krels diff. cit. §. 13.

b) L. 1. §. 5 L. 6. §. 1. D. de collat.

c) Wernher *Additam. ad Obs. forens. Vol. IV. ad obs. 494.*  
*p. m. 912. et 913.*

d) L. ult. C. unde liberi.

e) Wernher l. c. pag. 914.

### §. VIII.

*Nec quicquam nepotes conferunt, si parens hereditati aui renun-  
 ciauit, aut ab auo exheredatus est.*

Praeter eam, quam adhuc exposui, causam, ubi  
 nepos omiſſa hereditate paterna ſoli auo ſuccedere  
 vult, alia reſtat commemoranda, quando ſcilicet pa-  
 rens hereditati auitae renunciauit, aut ab auo exhe-  
 redatus eſt. Nepos enim, etſi ea, quae ipſe ab auo

C

viuo

## XVIII

viuo quondam acceperat, nunc quidem in diuidenda illius hereditate conferre tenetur, quemadmodum supra (§. VII.) indicauimus; ad ea tamen conferenda, quae parens ab auo viuo nactus fuerat, non adstrictus est. Id quod vel natura et indoles collationis exigit. Nimirum ipse parens, si adhuc viueret, conferre quicquam nec deberet, nec posset. Nam cum collatio bonorum ad hereditatem communem cogitari plane nequeat, nisi in eo, qui ad hereditatem ipse aut lege, aut testamento admittitur, parens vel exheredatione a successione remotus, vel iuri suo sponte renunciatis, ipse cum reliquis heredibus, quorum causa collatio esset facienda, vtique non concurrat, ideoque a collationis onere immunis est. Itaque nepos etiam, quamuis daremus, eum ex persona parentis succedere, nihil tamen confert, quia parens non accepit aui hereditatem, ideoque ad eum haud transmittit. Multo magis autem ab illo onere immunis est dicendus, si verum esse existimes, quod supra pluribus demonstratum inimus, nepotem auo iure proprio succedere, adeoque nepos, si nemo adsit, qui eum in successione antecedit, ad hereditatem auiam admittitur. Nam cum ipse nepos ab auo viuo nihil, quod conferri debeat, acceperit; ipse etiam collationis oneri non est obnoxius.

## §. IX.

*Perinde etiam est, nepotes siue cum patruis, siue cum nepotibus succedant.*

Nota est opinio, multisque Iureconsultis probata, in successione nepotis, vbicunque de collationis officio

officio agatur, discrimen statuendum esse, nepos utrum cum patruis aut amitis, an vero cum nepotibus tantum neptibusue, aut porro concurrat. Nempe si nepos simul cum patruis vel amitis succedat, conferendum ab eo esse dicunt, quicquid parens praedefunctus a viuo auo acceperat, et conferre ipse debuerat, licet nepos parentis hereditatem velit omittere: si vero nonnisi nepotes vel pronepotes simul ad hereditatem cum illo vocati sint, eundem a conferendi onere immunem esse volunt. <sup>a)</sup> Enimuero isti sententiae ego, vt subscribam, non possum a me impetrare. Nepos enim si cum aliis in diuidenda aui hereditate concurrat, coheres eorum sine dubio habendus est; et perinde omnino est, alii siue patrum sint, siue nepotes, quoniam in eo utique conueniunt, quod coheredes illius sunt. At vrgent, quod nepos, cum patruis quidem concurrens, iure parentis praedefuncti, cum nepotibus autem concurrens iure proprio succedat. Et si quidem immunem illum a collatione esse dicant, quando ipse ex sua persona patri succedat; ad conferendum tamen adstrictum esse volunt, si parentis personam referant, quia parens, si adhuc in viuis esset, accepta deberet conferre. Sed quemadmodum totum distinctionis istius fundamentum dubium et fragile mihi videtur; ita etiam ea, quae eidem superstruunt, ruinam minantur. Etenim cum repraesentationis ius, in quo successionem nepotum niti putant, erroneum hic esse, supra pluribus demonstrauerim, omnemque successionem ex iure nepotum proprio repetere tentauerim: nepos indistincte in communem aui hereditatem nihil conferat, necesse est. Atque si

verum adeo esset, quod contendunt, nepotem ex iure repraesentationis aucto succedere: sane in vtraque causa, siue cum patruis, siue cum nepotibus concurrant, accepta deberent conferre. Nam si ius repraesentationis accipiamus pro eo, quod nepos in locum parentis praedefuncti ita subintret, vt eandem portionem accipiat, quam ille, si in viuis esset, acciperet, quemadmodum in descendentium etiam successione intelligi volunt; idem omnino applicandum esset, siue adit descendens propior ex vna alteraque stirpe, qui cum nepote concurrat, siue minus. Quamobrem non intelligo, quomodo in vna tantum causa nepos parentem praedefunctum dici possit repraesentare, in altera non repraesentare; adeo vt in illa conferre bona debeat, in hac immunis ab hocce onere appareat. b)

a) Ita fere Carpzov *Defin. forens. P. 3. const. 11. def. 33. et 34.* Berlich *Conclus. practic. P. 2. dec. 247.* Cocceii *iur. controu. tit. de collat. bonorum qu. 2.* Wernher *l. c. obs. 499.* Berger *Oecon. iur. L. 2. tit. 4. th. 51. not. 1.*

b) Hinc alii distinctionem prorsus reiiciunt, nulloque discrimine facto nepotem ad conferendum adstringi malunt; veluti Huber *praelect. ad Digest. tit. de collat. §. 5.* Lyncker *Decis. P. 1. dec. 75.* Voët. *comm. ad Dig. tit. de collat.* et ipse olim Berger *Elect. discept. for. P. 2. cent. 3. conf. 20. p. 2.*

### §. X.

*De nepote non conferente argumenta quaedam spuria.*

In defendenda illa, quam secutus sum, de nepotum collatione in diuisione auitae hereditatis sententia

tentia GEBH. CHRIST. BASTINELLER <sup>a)</sup> latissime versatus est, eamque in rem non minus argumenta quaedam ex legum verbis repetita adhibuit. Verum accidit ei, quod accidere incautis defensoribus solet, ut, dum argumentis parum idoneis vtuntur, causae suae plus noceant, quam profint. Meum igitur est, ingenue haec, at paucis declarare. Prouocat ille primum ad *L. 2. pr. ff. 1. et 2. D. de collat.* vbi nepos patris sui emancipati nomine ad bonorum possessionem aui admissus, praeter id, quod a patre accepit, siue hereditatem, siue legatum, paterque tempore mortis aui in bonis suis, deducto aere alieno, habuit, aui coheredibus conferre adigatur. Sed omnis loci contextus docet, de alia plane causa, quam iam IAC. CVMCIUS <sup>b)</sup> constituit, hic sermonem esse. Scilicet pater duos habuit filios, vnum suum, alterum emancipatum, quem eo tempore, quo natus, vxor eius, veterum gerebat, emancipauerat. Hic partu nondum edito, e vita decessit, et post eius obitum nepos natus est. Iam vna cum relicto filio suo nepos ex emancipato filio praemortuo extitit. Huic igitur petenti, testamento condito, bonorum possessio contra tabulas, vel, testamento non exstante, b. p. ex edicto Vnde liberi datur, idemque bona sua, siue ex substantia patris, siue aliunde ipsi aduenissent, iubetur conferre. Iniquum enim fuisset, nepotem adigi, ut non solum propria bona, sed praeterea etiam omnia illa, quae patris fuerunt, si nihil eorum vel heredis, vel legati titulo accepisset, conferret. Ast haec non possunt ad nostram causam adhiberi, vbi non de propriis bonis nepotis, sed de his, ad quae conferenda pater, si superstes

perstes successisset, obstrictus fuisset, conferendis agitur. Multo autem minus §. 9. eiusdem loci, ubi de emancipati filii nepote emancipato, qui ad bonorum possessionem fuerat admissus, sermo est, vel eo nomine, ad rem nostram trahi potest, quoniam nos de nepote parentis praedefuncti hereditatem omittente loquimur. — Alterum, quo ille vititur, argumentum ex *L. 6. C. de collat.* depromptum est, ubi Imp. Gordianus haec constituit: *Ea demum ab emancipatis fratribus his, qui remanserunt in potestate, conferri consueverunt, quae in bonis eorum fuerunt eo tempore, quo pater sati munus impleuit; exceptis his videlicet, quae ab iis aliis debentur.* Ego vero non intelligo, quid locus iste ad causam nostram faciat. Nam de filio loquitur, non de nepote. Idemque simul adiectis verbis limitationem indicat, aë alienum a filio contractum excipi, non bona praeaccepta a defuncto ante eius obitum, licet bona fide consumpta. — Tertium est, quod ille ex *L. 1. §. 1. D. de collat.* deriuare cupit. Verba haec sunt: *Qui ab hostibus captus post mortem patris redit: licet nihil moriente patre habuit, cum apud hostes fuerit, tamen ad bonorum possessionem admittitur, et confert sc. ea, quae moriente patre haberet, si ab hostibus captus non fuisset, sed etsi redentus ab hostibus mortis tempore patris inueniatur, aequè collatio erit faciendâ.* Ast ibi nihil aliud intelligitur, nisi hoc, quod filius ab hostibus reuersus post mortem patris illa bona, quae post mortem parentis acquisiuit, conferre non debeat, sed ea tantum, quae moriente patre, nisi captus fuisset. Neque exprimitur ibidem, vtrum ea tantum, quae vere habet, an quae bona fide consumpta sunt, significantur. — Quartum denique argumentum in *L. 1. §. 23. D.*

*D. eod.* collocant, vbi Vlpianus ait: *Confertur etiam, si quid eius non fuerit, dolo malo autem factum sit, quo minus esset. Sed hoc sic accipiendum est, ut hoc demum conferatur, quod eius esse desit dolo malo. Caeterum si id egit, ne acquireret, non venit in collationem.* Sed agitur ibi tantum de iis, quae pater aut cum onere collationis accepit. Praeterea a veterum propriorum bonorum collatione ad collationem eorum, quae ex auti bonis prouenerunt, argumentari non licet. Et intelligitur locus de iis, quae post mortem patris filius dolo possidere desit, aut non acquisiuit, nec vero ad bona ante patris obitum consumpta spectat. Denique nonnullorum aliorum, quibus ille utitur, locorum <sup>c)</sup> vel ideo ratio non habenda est, quod omnes de liberis primi gradus, nec de nepotibus in patris locum succedentibus agunt. Omnino vero non opus est hisce argumentis, quorum vanitatem latius iam WERNHERVS, <sup>d)</sup> KRESSIVS, <sup>e)</sup> et STRECKERVS <sup>f)</sup> ostenderunt, quum iam alia exstent documenta, ex quibus immunitas nepotum demonstrari possit, antea a me suppeditata.

a) Bastineller in *diff. laud.*

b) Cuiacius *ad Iul. Paull. l. c.*

c) Scil. *L. 1. §. 17. et 19. D. de collat. L. 1. §. 6. L. 6. D. de dot. collat. L. 2. C. de collat. L. 12. C. eod.*

d) Wernher *l. c. pag. 880. sq.*

e) Kress *l. c. cap. 2. §. 15. et 16.*

e) Strecker *l. c. §. 11.*

*Aduersariorum argumenta praecipua, ex aequitate et collationis natura repetita.*

Qui nepotem ad conferendi onus, licet paterna hereditate omiffa, adstringi volunt, ii variis iisque haud leuis momenti argumentis vtuntur, partim ex collationis natura, partim ex nonnullis iuris ciuilibus repetitis: de quibus praeter ea, quae in sententia mea defendenda obiter iam attuli, nunc paucis dicendum restat. Primum quidem ipsum collationis fundamentum vrgent, quod in aequalitate positum fit, et cui nihil magis repugnet, quam ex liberis vnum minus consequi, quam alterum, quod futurum esset, si illud, quod parens defunctus accepit, in collationem haud veniret. Enimuero illa aequalitas, quamuis in conferendo vel maxime spectari debeat, ex eo tamen tempore, quo parens, cui successio fit, mortuus est, solummodo consideranda venit. Iam cum nepos superstes nihil adhuc ab auo viuo consecutus fit, sane plus, quam aui coheres, non accipit. Quod enim praereptum est a parente praedefuncto, atque consumtum, illud nepos nec possidet, nec dolo vel culpa possidere desit. Itaque iniquum esset, si nepos, pari iure cum reliquis aui coheredibus ad hereditatem auitam vocatus, id, quod plane non accepit, conferre deberet.

Deinde dicunt, quia patri, si vixisset, onus collationis subeundum fuisset, idem a nepote fieri oportere. Sed obest huic ratiocinio, quod vtriusque non eadem causa est. Pater enim, si adhuc in viuis esset, ideo



ideo conferre deberet, quia aliquid ab auo acceperat. At nepos, qui neque ab auo, neque a patre quicquam consecutus est, a collatione merito liberatur.

Porro adferunt, nepotem plus ex aui hereditate exigere non posse, quam pater eius, si superstes fuisset, accepturus esset. Sed respondeo iterum, nepotem ad conferendam rem, quam tempore mortis aui nec habuit, nec dolo vel culpa habere desiit, haud obligari: et cum praemortuo patri nulla fuerit auitae hereditatis petitio, illum nepoti etiam adimere eam non potuisse. Quod si vero nepoti superstiti plus iuris, quam praedefuncto patri in hereditate auita concedere nollemus, inique omnino in ea re fieret, propterea quod inde consequeretur, nepotem, si pater plus iusto iam accepisset, plane nihil, et ne legitimam quidem accepturum esse.

Nec minus pugnare contra me videtur, quod contendunt, nihil intuitu coheredum aui ad rem facere, vtrum nepos sui patris heres fieri velit, nec ne, quoniam non de patris, sed de aui hereditate agatur, ad eamque meliori iure nepos vocari nequeat, quam eius pater. Sed dico, praeposteram hereditatis futurae perfruitionem, quam auus praedefuncto patri permisit, nepoti superstiti, quo minus partem sibi delatam consequatur, nocere haud posse.

Praecipue autem id vrgent, quod magnam sane veri speciem habet, coheredibus nepotis, siue patrum sint, siue nepotes, fraudi esse non oportere, quod patre defuncto nepos in eius locum subeat: id quod omnino fieret, nisi nepos conferre ea, quae pater ab

D

auo

auo acceperat, cogereur. Sed tamen non defunt, quae contra moneri queant. Primum enim pro mero casu habendum est, quod parens ante obitum aui vita deceffit. Iam vero aequè iustum mihi esse videtur, casum ferri a coheredibus, quam a nepote, qui heres defuncti factus non est.

Porro etiam cum aequitate naturali magis conuenit, id detrimenti, quod aui potius, quam nepotis culpa accidit, omnes aui heredes, quam solum nepotem pati. Accedit, quod verum auitae hereditatis damnun non est, quia non post mortem aui, sed ante illam contigit, si quidem quantitas hereditatis non nisi ex tempore mortis defuncti consideratur.

Reliqua argumenta aduersus eam, quam defendi, sententiam prolata merito, ni fallor, praetermittenda duco, quoniam ex his, quae adhuc commemorari, sponte soluuntur, nec noui quicquam, et quod non ad rationes adlatas redigi possit, comprehendunt.

## §. XII.

*Argumenta contraria ex nonnullis iuris ciuilibus locis depromta.*

Nec defunt iuris ciuilibus loca, quae videntur sententiam illorum, qui nepotem indistincte ad conferendum adigunt, non parum adiuuare. Referunt huc, vt alia taceam, verba Celsi *L. 7. D. de collat. Si nepotes in locum filii successerunt, vna portio iis conferri debet, vt bonorum possessionis vnā partem habeant. Sed et ipsi ita conferre debent, quasi omnes vnus essent.* Quae lex cum nullam faciat distinctionem, vtrum nepos parentis sui heres factus sit, nec ne; vtique etiam in ea specie, vbi nepos here-

hereditatem parentis omittit, ad conferendum adstringi illum volunt. — Sed omnis locus, etsi non verbis aperte prolatis, at certe si mentem Iureconfulti atque consilium spectes, nepotes parentis sui heredes factos ponere videtur, eosque ad conferendum adstringit. Atque praestat omnino hanc praeferre interpretationem, quae cum natura atque indole collationis magis conuenit, propterea quod nusquam diferte collatio ad utramque speciem, siue nepos heres parentis factus sit, siue minus, translata est, quod in rebus per se plane diuersis factum esset, si Ictus fieri id uoluisset.

Pari modo nec *L. vi. §. 4. C. de caduc. tollend.* ad rem meam pertinet. Dicit enim, *non esse ferendum eum, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem eidem annexum contemnit.* Ast loquitur de eo, qui lucrum ex ultima uoluntate sentit, onusque eidem annexum ferre detrectat. In nostra autem causa nullum plane lucrum ex testamento patris ad nepotem peruenit, cuius intuitu onus subire cogendus sit. Nec obstant uerba *L. 149. D. de reg. iur. Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum praestare debet.* Nepos enim auitam hereditatem non patris, sed legis beneficio, ideoque ex sua, non ex praemortui patris persona consequitur: et ubicunque a patre in nepotem nihil collatum est, ibi nec nepos patris factum praestare cogitur.

Obstant etiam Ulpiani uerba *L. 1. §. 5. D. de collat. Toties collationis locus est, quoties aliquo incommodo affectus est is, qui in potestate est, interuentu emancipati: ceterum, si non est, collatio cessabit.* Sed primum uidetur mihi re-

gula ibi propofita, quae de fuis et emancipatis praecipit, nonnifi ad antiquam conferendi rationem pertinere. Deinde nullus fane heres eft, qui non interuentu coheredis cuiuslibet eo incommodo adficiatur, vt minus accipiat, quam accepiffet, fi folus maniffet. Iam fi omnes omnino heredes ob interuentum conferre tenerentur, latiffima profecto effet conferendi neceffitas, et ad collaterales et extraneos adeo coheredes fpectaret, quod manifefte iuris rationibus repugnat. Explicanda quoque eft regula ex alijs locis, fecundum quae hodie demum ea conferuntur, quae ex fubftantia eius, de cuius hereditate agitur, profecta funt, et tempore delatae hereditatis in bonis eius, qui conferre debet, adhuc exftant, aut dolo vel culpa illius effe defierunt. Iam vero cum nepos, quem ego ftatuo, nihil, quod ex aui hereditate profectum fit, et collationi fubiaceat, acceperit, idem etiam interuentu fuo coheredes aui incommodo aliquo, quod vere dici poffit, haud adfcit: ideo nec collationis onus ferre debet.

Postremo loco argumentum, ex Nouella CXVIII. cap. 1. repetitum, in quo fuma omnino fententiae contrariae vis inniti videtur, liceat breui commemorare. a) Iuftinianus enim ifta conftitutione, vacanti- bus, vt in prooemio ait, prioribus legibus pro hac caufa pofitis, nouum plane ab inteftrato fuccedendi ius et ordinem introduxit. Et primo quidem loco defcendentes ad fucceffionem vocauit, fimulque praecipit, vt, *fi quem horum defcendentium filios relinquentem mori contigerit, illius filii, aut filiae, aut alii defcendentes, in proprii parentis locum fuccederent, fuae fub poteflate defuncti, fuae fuae potef-tatis inueniantur; additis verbis: tantam de hereditate morientis*

*rientis accipientes partem, quancunq; sint, quantam eorum parens, si uiueret, habuisset: quam successiōnem in stirpes uocauit antiquitas.* Nepotem igitur illi dicunt nec plus, nec minus accipere, quam eius parens, si uiueret, accepisset. Atqui eius parens suam partem non nisi praecua in hereditatem illatione conferendorum, aut eorum imputatione in suam partem, accipere potuit. Ergo quoque in nepote idem iuris est: isque proinde conferre tenetur. — At enim uero non desunt, quae isti ratiocinandi viae opponi probabiliter queant. Etenim de conferendi onere, quod nepos subire debeat, nihil diserte ibi expressum legitur: sed non nisi de successiōne nepotis Iustinianus constituit: ita quidem, ut illi non solum ius auo succedendi tribueret, quando pater praemortuus sit, uerum etiam simul, quantam portionem plures nepotes ex eodem parente praedefuncto geniti accipere debeant, exprimeret. Quae scilicet potuit, nepotes, cum pluribus forte patris concurrentes, utrum aequali modo cum his succederent, id est singuli tantam hereditatis partem, quantam singuli patris adhuc superstites acciperent, an uero inaequaliter, id est omnes ex eodem parente praedefuncto natos coniunctim ea demum parte, quam hicce accepisset, potirentur. Hanc igitur quaestionem ut solueret, Imperator postremam rationem constituit: idque uerbis, quae mox sequuntur, exacte indicauit, dum *successiōnem in stirpes* inter nepotes ualere iussit. Iam quemadmodum eam tantummodo successiōnis uiam monstrauit; ita totam de collatione nepotum quaestionem intactam plane reliquit. Quare etsi nepos, parentis hereditatem amplexus, ea, quae hic ab auo uiuo

vivo accepit, omnino conferre in auitam hereditatem debet; omiffa tamen parentis hereditate, conferre eadem, ex caufis abunde adlatis, non cogitur.

Haec igitur funt, quae de nepote ad aui hereditatem non conferente dicenda exiftimauit. Me quidem haud fugit, non folum permultos in ea re aliter fentire, fed etiam forum contrariam fententiam haud raro fequi. Quemadmodum enim in fcriptis ICtorum, qui de ifto argumento expofuerunt, res in contrariam partem iudicatae maioris ponderis caufa adductae funt; ita ego quoque experientia doctus fcio, in duabus caufis, in quibus ipfe patrociniũ geffi, nepotem ad conferendum, licet omiffa patris hereditate, adactum fuiffe. Sed vt certus et conftans fori vſus demonſtrari facile nequit; ita condonabunt aequi rerum iudices, quod nunc quidem, data ſcribendi opportunitate, nepotum caufam ſuſcepi, idque iuris ciuilibis caput, dubium omnino inter interpretes varieque agitatũ, ex mea ſententia expofui.

- a) Eodem, praeter Wernherum, Kreffum, et permultos alios, vſi etiam funt Io. Aug. Hellfeld diff. *de transmissione iuris ſuccedendi anteaſſoris morte non delati*, (in *Opuſc. n. XIX.*) §. 28. et Ge. Dav. *Struben rechtl. Bed. Tom. IV. obj. 83.*

### §. XIII.

*De iure pronepotum in collatione bonorum.*

Vix eſt, quod de pronepotis vel proneptis collatione in diuidenda proaui hereditate adiiciam. Nam pronepos, quemadmodum inter omnes conſtat, vbi nulla

nulla persona inter illum et defunctum, de cuius hereditate quaeritur, superstes intercedit, in locum praedefuncti nepotis subintrans, proavo suo succedit, eandemque portionem nanciscitur, quam ille, si in viuis esset, acciperet. Quare etiam dubio caret, intuitu collationis in pronepote eadem, quae in nepote, iuris principia obtinere: ideoque eundem, prout hereditatem praedefuncti descendantis adquisiuit, aut omisit, ad conferendum in hereditatem communem adstringi, vel ab illo onere immunem esse.

---

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

CAROLO SIGISMUNDO TOPP

S. D.

CHRISTIANVS AVGVSTVS GÜNTHER.

*Cum primum mihi libellum academicum ad summos in iure honores capeffendos docte subtiliterque scriptum offerres, et si in eo multis modis a sententia Tua recedebam; ut tamen in ipsis rerum argumentis quidquam mutarem, impetrare a me non potui, quia inhumanum esse videbatur, non Tuum Tibi libellum reddere, sed meum quasi supposititium obtrudere. Est sane iuris ciuilibis locus, quem Tibi explicandum sumfisti, difficilis, nec dubiis vacuus, et propter vsum, quem saepif-  
sime*

## XXXII

*fine in iudiciis fert, utique dignus, in quo exponendo ingenii Tui ac iurisscientiae Specimen exhiberes. Reddo igitur Tibi dissertationem, in qua perlegenda voluptatem haud exiguam percepi, integram illam quidem, at oratione mutata, (ita enim a me exigebas) et paucissimis subinde obseruationibus adiectis: in quo publice defendendo socium me atque comitem esse benigne voluisti. De laudibus Tuis hic dicere, nihil attinet. Probe enim nosti, quanti Te inde a multis annis faciam, tum ob egregias ingenii animique dotes, tum propter Tuum in me fauorem amicitiamque spectatam, et quantopere laeter, Te olim in eorum, qui scholis meis interessent, numero fuisse, nec tamen ubique in verba, ut aiunt, magistri iurasse. Quod reliquum est, honores academicos propediem impetrandos ex animo gratulor, iidemque ut magno Tibi emolumento sunt, ingenue opto. Vale. — Scripsi in acad. Iul. Carol. ip[s]is Cal. August. A. C. MDCCLXXXVI.*

CONSP-



CONSPECTVS.

- I. De collatione bonorum vniuersim.
- II. De collatione nepotum quaestio dubia.
- III. De iure repraesentationis.
- IV. De successione nepotum sententiae nonnullorum.
- V. Nepos auo iure proprio succedit.
- VI. De collatione nepotum variae considerationes.
- VII. Nepotes parentis praedefuncti hereditatem omittentes in diuidenda aui hereditate nihil conferunt.
- VIII. Idem obtinet, si parens hereditati aui renunciauit, aut ab auo exheredatus est.
- IX. Perinde etiam est, nepotes siue cum patruis, siue cum nepotibus succedant.
- X. De nepote non conferente argumenta quaedam spuria.
- XI. Aduersariorum argumenta praecipua, ex aequitate et collationis natura repetita.
- XII. Argumenta eorundem ex nonnullis iuris ciuilibus locis deprompta.
- XIII. De iure pronepotum in collatione bonorum.

CONTENTS

- I. De collisione bonorum veritatis.
- II. De collisione bonorum quorundam.
- III. De iure representationis.
- IV. De collisione bonorum masculinis et femininis.
- V. De iure quodammodo hereditatis.
- VI. De collisione bonorum varie conditionales.
- VII. De bonis patris paterfamilias et hereditatis conditionales in  
matrimonio et hereditate nihil conditionales.
- VIII. De bonis quibusdam et patris hereditatis et remanentibus  
et non expensis etiam.
- IX. De bonis quibusdam et bonis que cum patris hereditate  
remanentibus.
- X. De bonis non conditionales et remanentibus quibusdam.
- XI. Argumenta argumenta proposita, ex ordine et  
collisionis natura tractata.
- XII. Argumenta contra et nonnulla iuris et facti de  
proposita.
- XIII. De iure proposita in collisione bonorum.



X2368106

VD  
18

**ULB Halle** 3  
007 678 258  








*C. G. Günther De nepote non conferente.*

DE  
NEPOTE NON CONFERENTE  
EXERCITATIO.

1796, 2  
699  
2

SCRIPSIT  
ET  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
PRO  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
CAPESSENDIS  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO AVGVSTO GÜNTHERO  
IVR. PROF. P. O.

A. D. V. AVGVST. A. C. MDCCLXXXVI.

AD DISPVTANDVM PROPOSVIT  
CAROLVS SIGISMVNDVS TOPP  
BRVNSVICENSIS  
ADVOCATVS ET NOTARIVS PVBLICVS CAESAREVS.

HELMSTADII  
LITERIS C. G. FLECKEISEN, TYPOGR. ACAD.